INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES HIBERNOS A. CIↃIↃCCCLXVIII ET LXIX

A DIE XV M. OCTOBRIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

INEST FRIDERICI HEIMSOETHI NARRATIO
DE EPISTOLARVM AD FRID. AVG. A SCHLEGEL DATARVM THESAVRO
PRAEMISSO COMMENTARIOLO
DE SCHOLIIS IN AESCHYLI AGAMEMNONEM SCHOLIASTA MEDICEO VETVSTIORIBVS

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI

RECTOR ET SENATVS

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

COMMILITONIBVS

S.

Tantopere, commilitones, circa ea quae instant huius Vniversitatis sacra semisaecularia et mente et animo versamur toti, ut neque quae de interpolationum minutiis post duas commentationes restant addenda persequi iuvet hodie, neque etiam de primariis emendationis Aeschyleae fontibus, quos nuper enucleare coepimus, pergere, quamquam de hoc quoque rei criticae loco levissime adhuc tractato quam plurima in promptu habemus et aperienda argumentis et e codicibus adferenda. Vnum tantum quod, etsi ad rem nuper tractatam proxime pertinebat, chartae tamen temporisque angustiae tunc addere prohibebant, nunc paucis significabimus, ut ne index scholarum primo post alterum saeculi dimidium anno habendarum prorsus careat exemplo quantulocumque earum rerum, quae lustris instantibus alia quam qua per praeterita tractabantur tractandae sunt ratione. agitur autem in his rebus de summorum poëtarum emendatione ab opinionum praeiudicatarum tamquam catenis liberanda. — Igitur quod nuper, cum demonstrabam, tantum abesse ut scholia Medicea fons fuerint scholiastae A., ut excerpta sint ex iis quae in scholiis A. rectius integriusque scripta leguntur, in extrema commentatione uno verbo monui: 'scholia Medicea in Trilogiam et Supplices eodem quo reliqua modo orta ob eamque causam tam perplexa esse atque vitiosa', hoc non solum in universum probari ex ipsorum scholiorum condicione potest, sed certis etiam demonstrari argumentis, cum non desint scholia in Agamemnonem Mediceis vetustiora, ex quibus illa eadem quam in ceteris fabulis vidimus festinatione ac levitate sumpta atque corrupta sunt. Etenim quae Dindorfius, omnem scilicet de variorum scholiorum origine controversiam diremturus, in Philologi volumine vigesimo edidit codicis Farnesiani in Agamemnonem scholia, in iis quae ipse Triclinius addidit quaeque adhibuit vetustiora, certis distincta sunt notis. separavit igitur Dindorfius Tricliniana ab iis quae in codice voce *παλαιά* insignita sunt. quorum iis quae scholiis codicis vetustissimi Florentini similia sunt adposuit haec quae dicimus scholia Medicea ex iisque Farnesiana a grammatico aliquo Byzantino Triclinium proxime antecedente sumpta esse contendit, non ostendit. namque conposuit tantum utraque scholia, non conparavit. Hanc igitur conparationem ab illo praetermissam nunc instituemus. Est autem primum paucis monendum, scholia Farnesiana a Dindorfio ea edita esse ratione ut iis qui conferre Medicea et Farnesiana inter se velint, e singulis verbis argumenta ducere periculosae aleae sit: corrigant primum necesse est quae Dindorfius dedit ex van Heusdii editione Agamemnonis sive e codice Vindobonensi 341,

in quo omnia melius scripta leguntur et adeo quidem adcurate, ut vel Heusdiana inde corrigi hic illic possint (sic e. c. van Heusd. ad v. 171: *τυχών, οὐ τυχών· λάμβανε γὰρ τὸ οὐ ἀντὶ τοῦ οἰδ' ὅστις*, cod. Vind. pro *ἀντί* recte *ἀπό*; v. 232 v. Heusd. *ὕπερθε βωμοῦ, ἐνταῦθα τὸ βαλεῖν*, cod. Vind. *ἐνταῦθα τὸ βαλεῖν σύναπτε*; v. 158 ad verba poetae .. *οἴκοις βασιλείοις· τοῖςδ' ὁμόφωνον αἴλινον εἰπὲ κ. τ. λ.* quae v. Heusd. habet: *ὡς ὄντες ἐν Ἄργει τοῦτο φασίν* intellegi nequeunt, explicantur lemmate cod. Vind. *οἴκοις τοῖςδε*, al.). Apud Dindorfium quidem in scholiis Triclinianis plus semel propter eadem verba repetita integra enuntiata omissa sunt; sic ad v. 757 Dindorfius haec habet:

. . . *οὐχ ὁμοίως τούτοις περὶ τούτου φρονῶ. οὐ γὰρ κ. τ. λ.*

pro iis quae in codice leguntur:

. . . *οὐχ ὁμοίως τούτοις περὶ τούτου φρονῶ, ἀλλὰ μεμονωσμένος εἰμὶ κατὰ τὴν φρόνησιν καὶ κεχωρισμένως τῶν ἄλλων τὰ περὶ τούτου φρονῶ. οὐ γὰρ κ. τ. λ.*

et ad v. 870 haec apud Dindorfium leguntur pessime lacerata:

ὡς ἠκόν τινες ἀγγέλλοντες τρὶς ἀποθανεῖν Ἀγαμέμνονα. καὶ διὰ τοῦτο παρεικάζει τοῦτον τῷ Γηρυόνῃ καὶ τρισώματον λέγει, οὐ τρικέφαλον. ἐκεῖνος γὰρ ἅπαξ ἀπέθανεν ἑκάστῳ μορφώματι ἅπαξ ἀποθανών, ὡς φασί, καὶ τριπλῆν ἔφη τὴν περιστέλλουσαν κόνιν δεξάμενος ἄνωθεν.

in quibus primum initio post *ὡς* vocabulum *ἔοικεν* omissum est (cod. *ὡς ἔοικεν ἠκόν τινες ἀγγέλλοντες κ. τ. λ.*), dein perinepte *ἐκεῖνος γὰρ ἅπαξ ἀπέθανεν ἑκάστῳ μορφώματι ἅπαξ ἀποθανών* legitur pro:

ἐκεῖνος γὰρ ἅπαξ ἀπέθανεν μιᾷ πληγῇ τὰς κεφαλὰς ἀφαιρεθείς, οὗτος δὲ τρισώματος ὢν καὶ τρὶς ἀπέθανεν, ἑκάστῳ μορφώματι ἅπαξ ἀποθανών κ. τ. λ.

v. 154 in verbis:

μίμνει ἐπὶ τὴν οὐ δεισήνορα καὶ τὴν οὐ φοβηθεῖσαν τὸν ἄνδρα αὐτῆς, ἀλλ' ἀνηλεῶς φονεύσασαν Κλυταιμνήστραν μνήμων φοβερὰ καὶ ξένη κ. τ. λ.

subiectum sententiae omissum est quod in cod. post *Κλυταιμνήστραν* legitur: *μῆνις καὶ μνησικακία*, al. eiusm. In scholiis veteribus v. 336 *ὡς δὲ δαίμονες: ὄντες. πότερον δηλονότι δυστυχεῖς νῦν ἀμερίμνως εὐδήσουσιν* vitiatis verbis et interpunctione editum est pro *ὡς δυσδαίμονες: ὄντες πρότερον δηλονότι δυστυχεῖς νῦν ἀμερίμνως εὐδήσουσιν* (*ὡς δὲ δαίμονες* coniectura Hermanni est), v. 881 *τὰ ὑπὸ τοῦ δήμου μετὰ σοῦ πεπλασμένα δεινὰ μηνύματα* pro *κατὰ σοῦ πεπλασμένα*, v. 1130 *ὅμως δὲ στοχάζομαί τι καινὸν ἀποβήσεσθαι* pro *τι κακὸν ἀποβήσεσθαι*, v. 1374 *τοῦτο σημαίνειν βούλεται, ὅτι ὁ φιλικὸς ὑπερχόμενός τινα καὶ ἀπατῆσαι βουλόμενος κ. τ. λ.* pro *ὁ φιλικῶς ὑπερχόμενός τινα κ. τ. λ.*, al. In scholio de choreutarum numero v. 1348 ap. Dind. legitur: *πεντεκαίδεκα εἰσὶν οἱ τοῦ τραγικοῦ χοροῦ ὑποκριταὶ καὶ ἕκαστος αὐτῶν δίστιχον γνώμην λέγει. εἰπόντων δὲ τῶν ιβ', πρὶν καὶ τοὺς πεντεκαίδεκα εἰπεῖν, προλαβοῦσα ἐξῆλθεν ἡ Κλυταιμνήστρα. ἀμώμητον γὰρ μετὰ τὸ πάντας εἰπεῖν τὰς οἰκείας γνώμας ὥσπερ ἀπὸ συνθήματός τινος τότε ἐξελθεῖν τὴν γυναῖκα κ. τ. λ.* contra sententiam scriptoris qui *ἀμίμητον* (sic v. Heusd. et cod. Vind.) scripsit i. e. *οὐ μιμητικόν ἐστι.* Scholion *παλαιόν* ad v. 695:

πολύανδροί τε φεράσπιδες κυναγοὶ
κατ' ἴχνος πλάταν ἄφαντον
κελσάντων κ. τ. λ.

sic in codice scriptum:

ὥσπερ τὰ τῶν θηρίων ἴχνη ἀναζητοῦσιν οἱ κυνηγοί, οὕτω καὶ αὐτοὶ κατ' ἴχνος εὐθὺς τοῦ Πάριδος ἔδραμον. τὸ δὲ ἄφαντον, ἐπεὶ φανερά εἰσι τὰ τῶν θηρίων ἴχνη, τὰ δὲ τῶν νεῶν ἀφανῆ.

inconsiderantia haud vulgari ap. Dind. ad v. 624:

ἀνὴρ ἄφαντος ἐξ Ἀχαϊκοῦ στρατοῦ
αὐτός τε καὶ τὸ πλοῖον

relatum est praemisso etiam falso lemmate *ἄφαντος*, quamquam in ipso scholio *τὸ δὲ ἄφαντον* legitur. Praeterea omissa sunt *σχόλια παλαιά* ad v. 268, 269, alia, quae nunc ex v. Heusd. ed. Agam. suppleri possunt. in aliis scholiis Triclinio omnia tributa sunt quorum pars vetustior est, ut v. 306, 389, 542, 716, al. Contra schol. v. 49 male inter vetera conlocatum est cum sit Triclinii (cod. Vind. *δ. τρ.*, v. Heusd. *ἡμέτ.*). Denique addendum est, Dindorfium cum non nisi eam scholiorum partem dederit, quae in marginibus codicis scripta est, maiorem numerum eorum quae cum scholiis Mediceis concinunt omisisse. namque quod saepe fit hic quoque factum est, ut eiusdem corporis scholia alia in margine scriberentur, alia, nec solum brevissima, inter lineas. neglectis igitur iis quae non in margine scripta sunt Dindorfius 'viginti et sex' scholia Mediceis similia dedit: in codice 'octoginta' fere leguntur. Ex quibus intellegitur, calculos a Dindorfio l. l. p. 29 seq. subductos (die Zahl dieser Scholien beträgt 121, von welchen 41 auf die in der mediceischen Handschrift erhaltenen 402 Verse, die übrigen auf die jetzt in derselben fehlenden Partieen des Stückes fallen. Von jenen 41 Scholien sind 26 aus der mediceischen Handschrift entnommen, theils vollständig und wörtlich, theils verändert, abgekürzt oder mit Zusätzen versehen. Nach dieser Proportion würden wir annehmen müssen: dass sich unter den übrigen 80 Scholien ungefähr 50 befinden, die ihre Entstehung den mediceischen, für uns nicht mehr vorhandenen verdanken, so dass nur 30 übrig bleiben würden, welche auf Rechnung der von Triclinius excerpirten byzantinischen Scholien zu bringen wären e. q. sec.) ex omni parte esse inanes.

His igitur praemissis scholia codicis Farnesiani Triclinio vetustiora ubi conferri possunt cum Mediceis conferamus.

Agamemn. v. 1081 ad verba Cassandrae:

Ἄπολλον, Ἄπολλον,
ἀγυιᾶτ' ἀπόλλων ἐμός·
ἀπώλεσας γὰρ οὐ μόλις τὸ δεύτερον.

in cod. Farn. *σχόλιον παλαιὸν* adscriptum est hoce:

ἐκείνην γὰρ ἀπώλειαν πρώτην ἡγοῦμαι τὴν τῆς δουλείας, δευτέραν δὲ τὴν τοῦ θανάτου.

in his igitur verba *ἀπώλεσας τὸ δεύτερον* sic explicantur, ut Cassandra captivitati alterum nunc adcedere damnum dicat, instantem sibi scilicet mortem (cf. eiusd. cod. schol. sec. *λέγει δὲ τὸν αὐτῆς ὅσον οὔπω γενησόμενον θάνατον*). In cod. Med. legitur:

ἐκείνην γὰρ ἀπώλειαν μόνως ὁρίζομαι τὴν τῆς δουλείας, οὐ τὴν νῦν.

haec vero exponas mihi velim quo pacto cum verbis poetae cohaereant: ego non intellego. num in illis *οὐ μόλις* intellegebat 'paene non'? at scholion utrumque verbis *ἐκείνην γὰρ ἀπώλειαν* incipiens iisdem ingredi vestigiis videtur. itaque originem quidem harum ineptiarum

mihi videor intellegere. nimirum grammaticus Mediceus cum legebat *ἐκείνην ἀπώλειαν πρώτην ἡγοῦμαι τὴν τῆς δουλείας, δευτέραν δὲ τὴν τοῦ θανάτου*, voce *ἡγοῦμαι* deceptus vocabula *πρώτην* et *δευτέραν* perperam interpretabatur 'primariam' et 'secundariam'. itaque cum sibi videretur legere: 'captivitatem altero quod nunc instat maius habeo damnum', hanc sententiam etiam fortius redditurus: *ἐκείνην*, inquit, *ἀπώλειαν μόνως ὁρίζομαι τὴν τῆς δουλείας, οὐ τὴν νῦν*, quibus et a sententia scholiastae et a poeta prorsus aberravit. Ergo hoc codicis Farnesiani *σχόλιον παλαιόν* reapse et vetus est et vetustius codice Mediceo, cuius grammaticus ea ipsa quae cod. Farn. servavit perperam interpretatus ineptias suas scripsit, ex quibus ne Oedipus quidem elicuisset illam quae in cod. Farn. legitur explicationem.

Agam. v. 260: *ἥκω σεβίζων σὸν, Κλυταιμνήστρα, κράτος·*
δίκη γάρ ἐστι φωτὸς ἀρχηγοῦ τίειν
γυναῖκ' ἐρημωθέντος ἄρσενος θρόνου.

in cod. Farn. hoc *σχόλιον παλαιόν* legitur:

ἐρημωθέντος ἄρσενος θρόνου: ἤγουν ἐρήμου καταλειφθέντος τοῦ θρόνου τοῦ βασιλέως, ὡς ἀποδημοῦντος ἐκείνου. παρόντος μέντοι οὐ δεῖ ἐντυγχάνειν αὐτῇ πάντα καὶ τὸν τυχόντα.

ad quae Dindorfius: 'nur die letzten Worte sind aus dem Med. Scholion entnommen'. in hoc scilicet haec tantummodo leguntur verba:

παρόντος μέντοι οὐ δεῖ συντυγχάνειν αὐτῇ.

iam haec ipse consideres velim quid dicant, si non praecedunt verba *βασιλέως ἀποδημοῦντος*. nimirum *παρόντος* ad vocem *βασιλέως* refertur quae in verbis a vetere scholiasta praemissis legitur, et *παρόντος μέντοι* scripsit, qui modo scripserat *ἀποδημοῦντος ἐκείνου*. est igitur manifestum haec excerpta esse ex integro vetere scholio cod. Farn., quod postquam grammaticus Mediceus legit, ex more suo alteram tantum partem exaravit cogitando suppleta altera. quod bene intellegens Victorius (sive Stephanus fuit), additis e cod. Farn. quae ibi praecedunt, scripsit (Dindorfius haec Robortellio dedit, qui nil nisi verba schol. Medic. habet): *ἤγουν ἐρήμου καταλειφθέντος, ὡς ἀποδημοῦντος τοῦ βασιλέως· παρόντος μέντοι οὐ δεῖ συντυγχάνειν αὐτῇ.* sic enim ille scholia Medicea ubi corrupta vel manca videbat ex aliis codicibus corrigebat. Simili modo grammaticus Mediceus ad Prometh. v. 409:

ἀπόλεμος ὅδε γε πόλεμος, ἄπορα πόριμος

haec tantum adscripsit:

πόριμος αὐτοῖς

quae quomodo quis scripserit vix intelleges nisi adhibitis scholiastae A verbis:

τοῖς ἀδυνάτοις ἐπιχειρῶν καὶ πόριμος αὐτοῖς.

ex quibus cum grammaticus Mediceus haec ultima *πόριμα αὐτοῖς* excerpebat, ex iis quae legerat pronominis vim supplebat cogitans secum *πόριμος ἀδυνάτοις* i. e. *ἀπόροις*. Sic etiam in Agamemnonis loco quae scripsit in iis nituntur quae in scholio cod. Farn. praecedunt. Praeterea cum nil nisi *παρόντος μέντοι οὐ δεῖ συντυγχάνειν αὐτῇ* dabat, brevitati studens *τινά* cogitando supplevisse videtur pro subiecto quod vetus scholiasta scripserat *πάντα* et quod explicando addidit *καὶ τὸν τυχόντα,* quae ap. Dindorf. in *καὶ τὰ τυχόντα* corrupta sunt tamquam praecederet 'omnia'.

Sic vera rerum ratione in locum opinionis praesumptae restituta in ceteris quoque plerisque facile intelleges scholiastam Mediceum e vetustioribus scholiis nobis servatis transscripsisse sua et excerpsisse. Agam. v. 1133:

ἀπὸ δὲ θεσφάτων τίς ἀγαθὰ φάτις
βροτοῖς στέλλεται; κακῶν γὰρ διὰ
πολυεπεῖς τέχναι θεσπιωδὸν
φόβον φέρουσιν μαθεῖν.

scholiasta Mediceus secundum Dindorfium haec habet:

διὰ τὰ προσόντα κακὰ τοῖς εἰσερχομένοις καὶ τὰ λεγόμενα φανερά.

in his *φανερά* inepte scriptum est pro *φοβερά* (*φόβον φέρουσιν*), quod recte in *σχολίῳ παλαιῷ* cod. Farn. legitur:

διὰ τὰ προσόντα κακὰ τοῖς εἰς μαντείαν εἰσερχομένοις καὶ τὰ λεγόμενα φοβερά ἐστι.

quem calami errorem Dindorfius neque in scholiorum Mediceorum editione correxit neque cum scholia Farnesiana cum Mediceis conferret. Praeterea grammaticus Mediceus praepropere agens *τοῖς εἰσερχομένοις* scripsit, quod nihil significat, pro *τοῖς εἰς μαντείαν εἰσερχομένοις* (i. e. *τοῖς ἐπὶ μαντείαν προσερχομένοις*). Agam. v. 1141:

ἀμφὶ δ' αὐτᾶς θροεῖς
νόμον ἄνομον, οἷά τις ξουθὰ
ἀκόρετος βοᾶς φεῦ ταλαίναις φρεσὶν
Ἴτυν Ἴτυν στένουσ' ἀμφιθαλῆ κακοῖς
ἀηδὼν βίον.

in cod. Farn. hoc *σχόλιον παλαιόν* legitur:

τὸ ἑξῆς θροεῖς νόμον ἄνομον ἀμφιθαλῆ κακοῖς στένουσα βίον.

quod scholiastes Mediceus (quem Dind. hic omis.) sic corrupit truncavitque:

τὸ ἑξῆς θρηνεῖ νόμον ἄνομον ἀμφιθαλῆ κακοῖς.

scilicet verba *στένουσα βίον* tamquam supervacanea proiiciens. Ad v. 1093:

ἔοικεν εὖρις ἡ ξένη κυνὸς δίκην
εἶναι, ματεύει δ' ὧν ἀνευρήσει φόνον.

in cod. Med. adscriptum est:

ἔοικεν ὡς κύων εὑρίσκοι ἀναζητεῖ εἰ γέγονεν ἐνθάδε παλαιὸς φόνος.

Dindorfius: '*ὡς κύων εὖρις ἀναζητεῖ.* sic correxi. verbum *ἔοικεν* irrepsit in verba scholiastae. Quo errore non animadverso in R. interpolatum est: *ἔοικεν ὡς κύων εὖριν ἀναζητεῖν.*' quae nihili sunt: neque enim *ἔοικεν* in scholiastae verba irrepsit neque Robortellius quicquam interpolavit, sed quod edidit e codice suo edidit: idem in cod. Mon. 91 legitur. sed vetus scholion, quod gr. Med. cum vocem *εὖρις* non intellegeret tam misere transscripsit, recte scriptum legitur inter *σχόλια παλαιά* cod. Farn.:

ἔοικεν ὡς κύων εὖρις ἀναζητεῖν εἰ γέγονέ τις ἐνθάδε παλαιὸς φόνος.

Ac vel minutissimae verborum inter Medicea scholia et Farnesiana discrepantiae illa ex iis quae in his servata sunt provenisse ostendunt, cf. quae ad v. 1130:

οὐ κομπάσαιμ' ἂν θεσφάτων γνώμων ἄκρος
εἶναι, κακῷ δέ τῳ προσεικάζω τάδε.

in cod. Farn. adscripta sunt:

οὐκ ἀλαζονεύσομαι, φησὶ, μάντις ἄκρος εἶναι ἐπιγινώσκων τὰ θέσφατα.

cum schol. Medic.:

οὐκ ἀλαζονεύομαι μάντις ἄκρος ἐπιγιγνώσκων τὰ θέσφατα (sic cod. et Gud. Rob. Vict., omissa scil. voce *εἶναι*. Dind. de suo *ἐπιγιγνώσκειν* scribens ne sic quidem orationem restituit).

vel v. 207: *βαρεῖα δ' εἰ τέκνον δαΐξω.*

schol. cod. Farn. (non habet Dind.):

πλείων οἶκτός μοι, φησὶ, διὰ τὸ τέκνον.

schol. Med.:

πλεῖον οἶκτος (sic scripsit, hinc in G. *πλεῖον οἶκτον*) *διὰ τὸ τέκνον.*

Denique hic quoque ut in ceteris fabulis scholiastam Mediceum ubique e pluribus pauciora excerpentem deprehendimus. quod longum est adcuratius persequi: pauca exempla sufficient, cf. Agam. v. 273:

Χορ. ἦ γάρ τι πιστόν ἐστι τῶνδέ σοι τέκμαρ;
Κλ. ἔστιν· τί δ' οὐχί; μὴ δολώσαντος θεοῦ.

σχόλιον παλαιὸν cod. Farn.:

εἰ μή τις θεός με δηλονότι (hoc *δηλονότι* ad pronomen ab interprete additum pertinet) *ἀπατᾷ, σημεῖον σαφέστατον ἔχω.*

schol. Med.:

εἰ μήπω θεός με ἀπατᾷ.

Dind.: 'den Schreibfehler *μήπω* statt *μή τις* hat der spätere Scholiast richtig verbessert'. scilicet novimus nunc uter scholiastarum recentior sit. v. 265:

εὐάγγελος μὲν, ὥσπερ ἡ παροιμία,
ἕως γένοιτο μητρὸς εὐφρόνης πάρα.

schol. cod. Farn. (deest apud Dind.):

γένοιτο καλὴ ἡ ἡμέρα, ὥσπερ καὶ ἡ νὺξ ἡ αὐτὴν γεννήσασα.

schol. Med. scripsit:

γένοιτο καλὴ ἡμέρα (sic), *ὥσπερ ἡ νύξ.*

festinantius scil. agens quam ut interpretationem vocis *μητρός* adderet. v. 59:

τῶνδε μετοικῶν ὑστερόποινον
πέμπει παραβᾶσιν Ἐρινύν.

σχόλιον παλαιὸν cod. Farn.:

ὑπὲρ τῶν μετοικισθέντων νεοσσῶν πέμπει τοῖς παραβᾶσι καὶ μετοικίσασιν αὐτοὺς ὕστερον τιμωρίαν.

schol. Med.:

ὑπὲρ τῶν μετοικισθέντων νεοσσῶν

(neque enim quae Dindorfius permutatis inter se duobus scholiastae Medicei scholiis huc retulit verba: *τῶν μηδέπω πετομένων νεοσσῶν* ad hunc locum pertinent, sed ad *ὀρταλίχων* in v. 54, cf. Hesych. *ὀρτάλιχοι, οἱ μηδέπω πετόμενοι νεοσσοί*) et:

τοῖς παραβήσασι καὶ μετοικίσασι (sic enim scripsit) *αὐτούς.*

v. 1114: τί τόδε φαίνεται;
ἦ δίκτυόν τί γ' Ἅιδου;
ἀλλ' ἄρκυς ἡ ξύνευνος ἡ ξυναιτία
φόνου.

σχόλιον παλαιὸν cod. Farn.:
τί τόδε: φαντάζεται καὶ τὸν χιτῶνα δι' οὗ ἀναιρήσει τὸν ἄνδρα. καί φησιν ὡς ἡ ξύνευνός ἐστι τοῦ Ἀγαμέμνονος ἡ αἰτία τοῦ φόνου.

schol. Med.:
φαντάζεται τὸν χιτῶνα.
ἡ σύνευνος τοῦ Ἀγαμέμνονος αἰτία τοῦ φόνου.

v. 283:
Ἴδη μὲν πρὸς Ἑρμαῖον λέπας
Λήμνου.

schol. cod. Farn. (hinc ap. Vict., non quem Dind. dicit Robort., qui nihil de h. v. habet):
ὄρος Λήμνου τὸ Ἑρμαῖον, ἐν ᾧ ἐτιμᾶτο ὁ Ἑρμῆς.

cod. Med.: ὄρος Λήμνου. Similiter v. 303 ὄρος τ' ἐπ' Αἰγίπλαγκτον schol. Med.: ὄρος Μεγάριδος e schol. cod. Farn. (non habet Dind.):
ἤγ. τῆς Μεγάριδος, εἰς ὃ αἶγες πλανῶνται.

Qui plura desiderat, conferre potest scholia ad v. 21. 23. 36. 1117, al. Quae Dindorfius singulis locis adscripsit, merae opinionis explosae sunt repetitiones, in quibus ne recte quidem scholiastae Medicei verba transscripsit, v. c. ad v. 21, ubi ad σχόλιον παλαιόν cod. Farn.: δεῖ διαστήματος ὀλίγου ἐνταῦθα, εἶτα ἀνακραγεῖν ὡς θεασάμενον τὸν πυρσόν adscripsit: wörtliche Wiederholung des Med. scholion δεῖ — πυρσόν. scil. in cod. Med. non legitur vocabulum ἐνταῦθα, quod Victorius e cod. Farn., e Victorio, non monito lectore, Dindorfius addidit (deest etiam in G. Mon. Rob.). Et ad sequentia: ὦ λαμπτὴρ τῆς νυκτὸς χαῖρε ὁ διδοὺς ἡμῖν φωταυγῆ ἡμέραν monuit: den spätern Scholiasten erkennt man an dem Gebrauch des Adjectivum φωταυγής, welches den kirchlichen und vielen mittelalterlichen Schriftstellern gebräuchlich ist (nempe quaecumque in cod. Med. leguntur temporibus valde antiquis a grammaticis Alexandrinis scripta sunt). Der Med. Scholiast bemerkte zu νυκτὸς ἡμερήσιον bloss ἐκ νυκτὸς ἡμέραν ἡμῖν διδούς — at ne haec quidem scripsit, sed inepte exaravit ἐκ νυκτὸς ἡμέραν ἡμῖν δοῦσιν, quod Victorius correxit (Rob. ἰδοῦσιν, e codice suo, sic etiam Mon. 91).

Sic igitur in codice recentiore (s. XIV) scholia codice Mediceo (s. XI) vetustiora repperimus. nimirum hic quoque in commentarios incidimus, ex quibus grammaticus Mediceus sua hausit, i. e. scholia A, quae linea directa, ut dicunt, commentarios veteres contingunt, e quibus scholiasta Mediceus non nisi transversa linea pendet. quod alias adcuratius explicabitur. nunc de scholiis cod. Farn. pauca addo. Vetus quem invenimus fons est, qui in fine Agamemnonis, ubi codices nil nisi: μὴ προτιμήσῃς ματαίων τῶνδ' ὑλαγμάτων ...
καὶ σὺ θήσομεν κρατοῦντε τῶνδε δωμάτων ...
exhibent, codicis Farnesiani σχόλιον παλαιόν praebuit:
ἐγώ, φησί, καὶ σὺ κρατοῦντες τῶνδε τῶν δωμάτων διαθησόμεθα τὰ καθ' αὐτοὺς καλῶς.
in quo duo quae e verbis poetae exciderunt vocabula: ἐγώ et καλῶς servata sunt. Nec ad solum Agamemnonem hic codex scholia vetusta servavit, sed etiam ad Eumenides. nam ad

v. 54, ubi in codice Mediceo: *ἄπτεροί γε μὴν ἰδεῖν*
αὗται, μέλαιναι δ' ἐς τὸ πᾶν βδελύκτροποι·
ῥέγκουσι δ' οὐ πλαστοῖσι φυσιάμασιν,
ἐκ δ' ὀμμάτων λείβουσι δυσφιλῆ δία.

legitur, in Ven. et Flor. *δυσφιλῆ βίαν*, scholia Medicea nil habent nisi interpretationem vocis *βδελύκτροποι*: *ἅς τις βδελύξαιτο ἂν καὶ ἐντραπείη μισήσας.*
sed in integro vetere scholio, ex quo haec excerpta sunt:

ἃς ἰδών τις, φησὶ, βδελύξαιτο καὶ τραπείη μισήσας αὐτὰς ὡς δυσειδεῖς· ἀπὸ γὰρ ὀμμάτων λείβουσι σταλαγμὸν αἱματηρόν.

σταλαγμὸν interpretatio est scripturae quam Burgesius primus coniectura dedit *λίβα* (cf. Pers. v. 613 *λιβάσιν*, schol. *σταλαγμοῖς*, Suid. *λιβάς, ὁ σταλαγμὸς τῶν δακρύων*, Hesych. *λιβάδα, σταγόνα. λείβω, στάζω*, al.), cuius vocis rarioris cod. Med. litteras initiales *ΛΙ*, in *ΔΙ* corruptas, habet, Ven. et Flor. litteras finales *ΒΑ*. Et versus 460 in cod. Med. sic scripti:

γελᾷ δὲ δαίμων ἐπ' ἀνδρὶ θερμόεργῷ

(antistr. *πανώλεθρος δ' οὔποτ' ἂν γένοιτο*) sententiam quidem scholiasta Mediceus explicat verbis: *γελᾷ, φησὶν, ὁ δαίμων ἐπὶ τῷ ἀδίκῳ κακῶς πάσχοντι*, nisi quod pro his inepte *ἐπὶ τῷ ἀδίκως πάσχοντι* exaravit, sed ipsam vocem a poeta adhibitam veteris scholiastae quae non in cod. Med., sed in Farn. legitur particula servavit: *θερμῷ ἤγ. θερμουργῷ.* quae interpretatio sic in vetustiore codice superscripta: *θερμουργῷ*
γελᾷ δὲ δαίμων ἐπ' ἀνδρὶ θερμῷ

primum in verba poetae inrepsit, dein etiam metro suadente in quatuor syllabas dilatata est. Idem v. 163 factum est, ubi quod cod. Med. habet:

τοιαῦτα δρῶσιν οἱ νεώτεροι θεοὶ
κρατοῦντες τὸ πᾶν δίκας πλέον

sic ortum est: *πλέον*
κρατοῦντες τὸ πᾶν δίκας πέρα

(Hesych. *πέρα, πλέον*); hinc in schol. cod. Farn. (deest ap. Dind.) legitur: *ὑπὲρ τὸ δίκαιον.* namque *ὑπὲρ* genuina vocis *πέρα* interpretatio est, cf. Hesych. *πέρα λόγου, ὑπὲρ λόγον* et *οὐχ ὑπὲρ ἀλόγου* i. e. *οὐχὶ πέρα λόγου, οὐχ ὑπὲρ λόγον.* Quanam ratione scholiasta Mediceus his scholiis vetustioribus usus sit, cerni potest etiam in v. 152:

νέος δὲ γραίας δαίμονας καθιππάσω,
τὸν ἱκέταν σέβων, ἄθεον ἄνδρα καὶ τοκεῦσιν πικρόν,
τὸν μητραλοίαν δ' ἐξέκλεψας ὢν θεός.

ubi in cod. Med. margini adscriptum est: *συλληπτικῶς*, quod quid sibi velit vix intellegas neque etiam lemmate quod praeponi inde a Victorio solet: *τοκεῦσιν πικρόν*] *συλληπτικῶς* edocearis, sed vetustius ex quo grammaticus Mediceus hanc unam vocem excerpsit scholion de voce *μητραλοίαν* sermonem esse ostendit:

συλληπτικῶς δεῖ λέγεσθαι τὸ ʽμητραλοίανʼ.

Sic quoque te verteris, vulgarem de scholiis Mediceis doctrinam e sola codicum aetate adreptam falsissimam esse intelleges. — Sed haec nunc hactenus.

Adpropinquantibus sollemnibus semisaecularibus virorum eximiorum animum subeunt imagines qui in hac Universitate olim suae quisque doctrinae antistites fuerunt. in quorum memoria recolenda eque vivis fontibus fovenda non minimae horum qui instant dierum festorum versabuntur deliciae. Ac de uno illorum qui inde ab ipsis huius academiae initiis per quinque lustra scholis Bonnensibus variae doctrinae copias dispertiebat, ut aliquid novi ineditique promere possim, Boeckingii nostri comitas mihi largitur. qui cum ceteras chartas omnes ab Augusto Guilelmo a Schlegel amico sibi relictas tum magnum sub signo habet epistolarum ad Schlegelium datarum volumen quo litterarum Germanicarum historia saeculi decimi octavi exeuntis et ineuntis decimi noni mirum quantum conlustratur. ut sperandum sit fore ut hic *παντοδαπῆς ἱστορίας θησαυρὸς* neque diripiatur umquam neque etiam aliunde subripiatur, sed in aliquo Germaniae *θησαυροφυλακίῳ* (utinam in huius ipsius nostrae academiae Rhenanae bibliotheca!) cum ceteris Schlegelii reliquiis condatur conserveturque integer. nimirum ea huius viri inter aequales auctoritas fuit eaque doctrinae copia atque varietas, ut cum plurimis illius temporis viris inlustribus commercio litterarumque consuetudine uteretur continuis. ut harum epistolarum lectio et iucundissimam nominum desideratissimorum suppeditet recordationem et multas rerum hominumque rationes reconditiores palam proferat, occultas aperiat. En litteras Bartholdi Niebuhrii item olim nostri ex quibus intellegitur quanto studio vir egregius ex vitae publicae aestu ad huius academiae recesserit umbram otiumque. Cum primum enim innotuit Niebuhrium scholas habiturum esse Bonnenses, Schlegelius, huius Universitatis t. t. Rector magnificus, ilico has ad illum litteras dedit honestissimas:

Euer Hochwohlgeboren bitte ich um Erlaubniss dem Akademischen Senat und meinen sämmtlichen Collegen voraneilen zu dürfen, indem ich Ihnen persönlich und in meinem eignen Namen meine Freude über die Nachricht bezeuge, welche ich gestern amtlich durch ein Schreiben des Königlichen Ministeriums empfing, dass Sie geneigt sind, hier öffentliche Lehrvorträge zu halten.

Für die wissenschaftliche Bereicherung, welche Euer Hochwohlgeboren der hiesigen Universität gewähren wollen, müssen Ihnen alle Mitbürger derselben um so dankbarer sein, da es Ihnen so leicht gefallen wäre, für die mündliche Mittheilung Ihrer tiefsinnigen und originalen Forschungen einen glänzenderen Schauplatz zu finden.

Ich meinerseits wünsche mir Glück dazu, dass ein für die Königliche Rheinische Universität so willkommnes und ehrenvolles Ereigniss in die Zeit meines Rectorats fällt.

Wenn ich nicht fürchtete zudringlich zu sein, so würde ich Euer Hochwohlgeboren schon jetzt bitten, mich unter die Zahl Ihrer Zuhörer aufzunehmen: denn ich hoffe gewiss, welche Stunden Sie auch wählen mögen, für eine solche Benutzung mich von allen andern Geschäften frei machen zu können.

Mit Verlangen sehe ich näheren Nachrichten über den Zeitpunkt Ihrer Ankunft, und insbesondere darüber entgegen, ob wir in diesem Sommer-Semester noch einige Vorlesungen von Ihnen zu hoffen haben. Alle etwanigen hierauf bezüglichen Aufträge von Euer Hochwohlgeboren werde ich mich bemühen auf das genaueste zu besorgen.

Genehmigen Sie u. s. w.

Bonn den 18ten März 1825.